Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25953
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dilectio nulla mensura constringitur cum dicitur: Diliges dominum
deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex
tota uirtute tua. Non enim iubetur quisque quantum dili
gat sed ex quanto cum dicitur ex toto. quia ille ueraciter dominum
diligit qui sibi de se nichil relinquit. Duo ergo hec necesse
est ut caritatis precepta custodiat. quisquis habere
inter nuptias uestem nuptialem curat. Hinc enim quod apostolus
ezechielem prophetam portae ipsius ciuitatis in monte con
stitute uestibulum duobus cubitis mensuratur. quia nimirum
accessus nobis celestis ciuitatis non panditur si in hac ecclesia quae
pro eo quod adhuc foris est uestibulum dicitur dei et proximi dilec
tio non tenetur. Hinc est quod cortinis tabernaculi intexit coccus
bistinctus iubetur. Uos estis fratres uos estis cortinae taber
naculi. qui per fidem in uestris cordibus secreta celestia uela
tis. Sed cortinae tabernaculi bistinctus coccus debet in
esse. Coccus quippe genus ignis speciem tenet. Quod uero est caritas
nisi ignis. Sed ista caritas esse bistincta debet. ut tinguatur
per amorem dei. tinguatur et per amorem proximi. Qui enim sic
amat deum ut per contemplationem illius neglegat proximum.
coccus quidem est sed bistinctus non est. Rursum quisque sic amat
proximum ut tamen contemplationem dei pro eius amore relin
quat. coccus est sed bistinctus non est. Ut ergo caritas uera bis
tinctus esse coccus ualeat. et ad amorem dei se et ad amorem
proximi accendat. quatenus nec compassione proximi contempla
tionem relinquat dei. nec plusquam debet inherens contempla
tioni dei compassionem abiciat proximi. Omnis itaque homo inter